

EEEE-----

/ Longo ac difficili itinere, e media Germaniae evocatus, pau-  
 cis ab hinc diebus una cum fratre in urbem perveni, Ill<sup>me</sup> et Rev<sup>me</sup>  
 D<sup>ne</sup> ea praecipue mente ac consilio, ut quoniam mihi iamdudum consi-  
 mile Augustini voto votum, videre Romam in choro, pontificem in ca-  
 5 thedra, Cardinales in Comitatu, partim animum tum insueto spectaculo  
 oblectarem, partim Deo beneficentissimisque patronis, quorum opera  
 vel in fide institutus, vel in necessitatibus sublevatus essem, debi-  
 tas grates persolverem, mihi que eorumdem gratiam constantius deinceps  
 devincirem. Quorum utrorumque ita heri in vigilia SS. Petri et Pauli  
 10 initium feci, ut et Deum veneratus, et Pontificem cum universo pur-  
 puratorum Patrum collegio conspicatus, et meorum etiam praecipuis  
 salutatis mihi desiderarim, nisi te unum desideratissimum Bellarmi-  
 num meum (fas sit ita loqui intemperantissimo amori meo) qui si af-  
 fuisses, corona sanctorum plena, et gaudium meum omnibus numeris ab-  
 15 solutum fuisset. Sed intelligo pastorem ad oves, patrem ad filios,  
 ducem ad exercitum convolasse. Placet et hoc, neque indignor, quin  
 (si accipis a cliente hoc officii) tam sublimem tibi dignitatem, et  
 episcopale munus, quod appetentes, bonum opus appetere Paulus ait  
 ex animo gratulor. Ardet interim pectus incredibili tui videndi cu-  
 20 piditate, quod quia oculis negatum est, litteris conabor, nec mente  
 a te unquam vel latum pilum dimovebor. Nos hic fovet et complectitur  
 magnus ille collega tuus Babonius, cuius a mensa et contubernio nun-  
 quam segregamur. Mirifica principis humanitas, incredibilis doctri-  
 na, munificentia cum paucis comparanda, ut si nihil quod Romae mira-  
 25 remur, hoc uno domestico monumento contenti esse possemus: ita plane  
 domus eius omnium virtutum pietatisque sacrarium est. Sed et alibi  
 in urbe confertim se luculenta et maxime insignia pietatis spectacu-  
 la offerunt, sive templorum ornatum, sive splendorem urbis, sive mar-  
 tyrum numerum, sive antiquitatum sive populi denique zelum  
 30 et contivam religionis contentionem spectemus. O utinam videant

/ maledici Arcesilae nostri, virusque acerbitatis suae tandem aliquando compescere discant! Sed servus malus nec verbis emendabitur: si enim et intellexerit, non obediet. Muneri tibi mitto litterarium opusculum, confectum a me hybernis lucubrationibus, quod donec tuo 5 nomini consecrata prodeant, benigne accipies, meque devinctissimum clientem tuum perpetuo favore complectere. Quod ut facias, maiorem in modum etiam atque etiam obsecro. Vale. Romae e palatio Baroniano. 3 Calend.Julii MDCII.

Justi Baronii... Epistolarum sacrarum, l.III, lettre 3, p.225=227.